Dissertatio medica inauguralis, de leucophlegmatia : quam, annuente summo numine, ex auctoritate ... D. Gulielmi Robertson ..., Academiae Edinburgenae praefecti ... pro gradu doctoratus ... / eruditorum examini subjicit, Joannes Unthank, Hibernus.

Contributors

Unthank, John.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1784.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/eh38adcr

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

LEUCOPHLEGMATIA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES UNTHANK,

HIBERNUS.

Societ. C. Physic. Edin. Soc. Honorar.

NEC NON

Soc. Reg. Antiq. Scot. Corresp. Sod. et Soc. Nat. Studiosi Soc. S. P. S.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

Ὑδρωψ ἀτερπὲς μὲν ἐσιδεῖν πάθος, χαλεπὸν δέ καὶ παθεῖν. διαδιδρήσκουσι γὰρ τόδε πάγχυ πάντες, ἐπ' εὐτυχίης, καὶ θεῶν μᾶλλον ἢ τέχνης. ARETÆUS, Lib. ii. Cap. 1.

Then Hydrops next appears amongst the throng;
Bloated and big she slowly sails along:
But like a miser in excess she's poor;
And pines for thirst amidst her watery store.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIV.

To Mr Jeffrey
with Compli
from the
Auth

Patri ſuo cariſſimo

ISAACO UNTHANK,

Limerici

Medicinae Doctori;

Qui cum multa ſua laude,

Civiumque ſuorum levamine et ſolatio

Artem ſalutiferam exercet;

Ob amorem vere paternum,

Quo ſe nunquam non proſecutus eſt,

Hanc diſſertationem,

Ut parvulum ſummae in eum obſervantiae

Monumentum,

D. D. Q.

† AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b24928744

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

LEUCOPHLEGMATIA.

QUANDOQUIDEM hujus inclytae academiae inſtitutis ſancitum eſt, ut ſinguli ad gradum doctoratus evehendi aliquod diligentiae ſuae ſpecimen in publicum proferant, ea prae caeteris mihi hunc honorem ambienti ſeſe commendat, quae in Leucophlegmatia verſatur, diſquiſitio. Quod mali genus in his regionibus haud infrequens eſt. Si quis autem id mihi vertat vitio, quod thema hodie minus uſitatum, et de methodica noſologia fere

exulantem ſelegerim ; hunc volo praemonitum, me generalem corporis conditionem proponere tractandam, quae, quum multa cum chloroſi communia habeat, et anaſarcae arcto nexu ſit conjuncta, ſic utriuſque conſiderationem complectitur, ut ad neutrius hiſtoriam privatim pertinere videatur. Scio equidem tum complures medicos, tum praeclarum unum, quo nullus in arte medica gravior auctor eſt, Leucophlegmatiam et Anaſarcam, nullo fere habito diſcrimine, ad eundem cenſum referre ; ſed nullus dubito quin veniam impetrem, ſi generalem corporis cachexiam, vel pravum habitum proſpiciens, huic theoriam et medelam accommodare operam dabo. Hujus vitii ſatis idoneum forſitan fuiſſet nomen cachexia aquoſa, vel potius diatheſis hydropica, ni venerandus noſter noſologus chloroſin, de qua nos verba facimus, a cachexiis longo intervallo diſtuliſſet. Quae Leucophlegmatiae deſcriptio apud Celſum legitur ad anaſarcam omnino quadrat ; ſed Hippocrates, Aretaeus, Aurelianus, et aliqui ex eorum

rum ſectatoribus, diſcrimen inter eas ſtatuerunt; quod diſcrimen, etſi in gradu tantum, quae Galeni et plurimorum poſt eum ſententia fuit, conſiſtat; tamen quam maxime poteſt ſervandum, et ante oculos habendum eſſe credo, quo felicius opportuna artis auxilia miniſtrentur. Venia ſit verbo. Res ipſa exigit, ut pro virium tenuitate conemur dilucide breviterque phaenomena recenſere, cauſaſque probabiliores eo conſilio indagare, ut naſcenti labi occurratur, et naturae deficienti ſubveniatur.

SIGNORUM ENARRATIO.

Leucophlegmatiam adeſſe dixerunt veteres, ubi ſanguis quadam cachochymia infectus ruborem ſuum, et denſitatem amittit, leviorque factus magis laxam, mucoſam, et frigidam naturam acquirit. Hujuſmodi intemperiem vel dyſcraſiam λευκον φλεγμα appellarunt: Ubi autem ſanguis exinde in tenuitatem aquoſam degenerat, tunc hy-

drops

drops ἀναταρκα eſt. Eorum de pituitoſa hac intemperie conjecturas in praeſens omitto, certiores notas, quae hoc corporis humani vitium deſignant, exploraturus. Protinus ergo, ubi hoc vitium conſuetam functionum integritatem labefacere incepit, roſeus iſte faciei vigor, quem purpureus ſanguis per tenerrima vaſa grate tranſlucens elargiri ſolet, marceſcit. Plumbeus aut ſubviridis pallor ora occupat; jamque de Leucophlegmaticis non inepte cum Poeta dixeris,

Palluit ut ſero lectis de vite racemis,
Palleſcunt frondes, quas nova laeſit hyems.

Lividus etiam circulus in orbitae vicinia cernitur. Oculi album a grato margaritarum colore ad plumbeum deflectit; et radians oculorum fulgor, in ſqualorem verſus, triſte quid ſpectatoribus oſtendit; ut verbo dicam, vultus triſtis, labia oris ſublivida, lurida omnia.

Pallori ſummae cutis accedunt carnium ubique flacciditas, et corporis refrigeratio. Eſt etiam crurum oedema, quod, quaſi

pars

pars hujus vitii individua, phlegmatia a Sauvageſio appellatur. In pedibus ſcilicet et cruribus fit turgeſcentia mollis, non elaſtica, cuti concolor, non dolens, a premente digito foveam retinens. Hic tumor ad veſperem magis increſcit; ſublevatis autem cruribus, uti in lecto fieri ſolet, magna ex parte diſcutitur.

Hactenus de ſignis, quae cuique manifeſta ſunt.

Functiones ſimul omnes plus minuſve interpellantur. Animales languent. Pigra, et veluti delaſſata membra aegre trahuntur. Hebeſcunt ſenſus. Memoria judiciumque vacillant. Vertigines moleſtae ſubinde ſuperveniunt.

Pulſus arteriarum parvi tardique obſervantur; leviſſimo autem motu corporis veloces fiunt et inaequales. Cordis palpitatio ſaepe vehemens. Reſpiratio minus ſolito expedita, et a minimo niſu anheloſa. Animae defectiones in proclivi ſunt.

Appetitus vel depravatus, vel nullus eſt. Puellae leucophlegmaticae rem non eſculentam

lentam appetunt, et abſurda quaelibet, arenas puta, calcem, vel cretam, furtim devorant. Quae pica chloroticis, et gravidis fere peculiaris, ab affectu obſcoenarum partium potius, quicum et ſtomacho mirus ſubeſt conſenſus, quam ab ipſa leucophlegmatia, pendere videtur; plerumque enim in leucophlegmatia, quam anaſarca excipit, ventriculus omnes aeque materias averſatur; quodque ingeritur in corruptionem mox abit: Hinc occurrunt pro cibi natura ructus acidi vel nidoroſi; tantumque abeſt ut a ſumpto cibo reficiatur corpus, ut inde magis gravetur et extumeſcat. Alvus plerumque tarda, nonnunquam ſoluta, raro naturalis. Halitus oris ſaepe gravis eſt, urina interdum tenuis, et inodora; interdum craſſa, et ſpumoſa excernitur; progrediente autem morbo, quantitas ejus admodum imminuitur, cohibita interea perſpirabili materia, quae per ſummam cutem difflari, et deficientis urinae vicem gerere conſuevit. Itemque bilis priſtini ſui coloris, et amaritudinis aliquid

amiſiſſe

amisisse perhibetur; et in uno cadavere bilem omnino defuisse memoratum est*. Salivae quicquid exspuitur tenax fila ducit; mucoque lento interiora oris obducuntur.

Haec incommoda, gradu numeroque in diversis casibus aliquantum diversa, id corporis vitium constituunt, quod diathesis leucophlegmatica satis recte nominari potest, cujus si notae magis obviae et constantes, distinctionis causa, quaerantur, sequentes forsitan dignae sunt quae locum teneant definitionis.

Cutis pallor, corporis totius at praecipue crurum turgescentia, asthenia, solidarum partium extuberatio nulla.

Pravus iste corporis humani habitus, quem adumbrare conatus sum, ne leviter quidem nos terrere debet; enimvero ad seria, et fere immedicabilia mala ducit. Quumque is vel sub initio satis manifesta sui praebeat indicia, ideo pro vero morbo habendum, et definiendum putavi. Quis enim,

* Confer. Santorin. Obs. Anat. c. 1.; Morgagn. de Sed. et Caus.

enim, quaeſo, morbus majus medenti negotium, aegrotanti longiores moleſtias parit, quam hydrops; atqui a leucophlegmatica diatheſi in hydropem, maximeque in anaſarcam, facilis patet exitus. Etenim veteri vitio ſi paulo tardius ſubvenitur, intumeſcentia, quae in cruribus ſolis fuiſſet, ad ſuperiora ſenſim procedit, nec reſupinato corpore, ut antea, diſcutitur. Inflato tamen corpore magis diſtenduntur partes, quae imam ſedem obtinent, aut laxioribus cellulis praeditae ſunt. Quamobrem ſcrotum ſaepe, tum propter ſitum, tum facilem quam patitur diſtenſionem, caeteris partibus vaſtius tumet; nec non manus et brachia tumore interdum rigent; iſque mollis eſt, ſi non nimius humor ſubeſt; at, ſi is vehementer increvit, renititur, ſicut uter repletus et arcte adſtrictus. Item praeputium in viris, in foeminis labia pudendorum, multo latice quandoque referciuntur. Interdum vero humor, poſtquam ad interiores caveas viam ſibi aperuit, ſummum corpus paulo antea diſtentum relinquit. Ubi jam

ſe

ſe late diffudit humor, urina aquoſa, aut ad ſeri ſimilitudinem accedens; ſaepe autem ſubrubra, craſſa, et lateritium quid dimittens, parce redditur; et, increſcente morbo, dyſpnoea cum tuſſe ſicca, importuna, inter decumbendum potiſſime moleſta, ſomnumque prohibente, aegrotantem vexat. Cutis frigidior et aridior facta, inſtar bombycis pellucet, neque amplius delicato ſenſu, quo naturaliter praedita eſt, fruitur. Arteriarum pulſus, vel etiam quieſcente corpore, frequentiores, parvi, et aliquando inaequales micant. Excretio alvina, cohibitis licet aliis, aliquantum perſtat. Inexplebilis urget ſitis, neque tamen ſemper lingua arida eſt, donec febricula indies increſcens et ſpem et vires penitus abſtulerit. Interdum nauſea eſt, et hanc nonnunquam excipit fatalis ſyncope. Saepius autem in ultimis ſpiritus ex toto intercluditur; aut ab oppreſſo cerebro lethargus miſeriarum ſimul et vitae dat finem. Interdum fieri ſolet, ut cum ingente tumore functiones ad vitam apprime neceſſariae diu illibatae manent; eſt etiam

ubi a mediocri tumore functiones maturius graviusque laeduntur. Anasarcam igitur, explicitiore sua forma prodeuntem, Culleno auctore, ita definiam.

DEFINITIO.

Corporis totius vel partis ejus, intumescentia mollis, inelastica *.

Percursa jam leucophlegmatiae et anasarcae historia, apparebit eandem theoriam utrique convenire: Etenim, si leucophlegmatiam pro quadam diathesi habere licet, eadem tunc erit inter leucophlegmatiam et anasarcam ratio, quae inter phlogisticam diathesin et synocham. In aureo Culleni libro, cui definitionem acceptam retuli, quinque omnino species sub genere anasarca recensentur. Pleraeque harum vel omnes forte, si secundam, viz. oppilatam, excipias, cum mere idiopathicae sint, tum id habent

* Cullen. Syn. Nos. Meth. Gen. 75.

habent commune, ut ab eadem diatheſi pendeant, non alio nitantur fundamento, non alia conditione exiſtant. Quantum ad has igitur ſpecies aliam ab alia diſtinguere vix opus eſt, ut adlaboremus. Mulieribus, quae uterum gerunt, familiaris eſt, ultimo vel penultimo graviditatis menſe, tumor oedematoſus pedum, dein et ſurarum et femorum gradatim adſcendens, veſpere creſcens, noctu evaneſcens, mane nullus; qui tumor, accedente partu, vel profluentibus poſt partum lochiis, ut plurimum diſcutitur. Sin hoc gravidarum oedema ulterius ſerpat, neque a partu diſcedat; utique, ſi pallor, ſolidorum laxitas, et virium permanens imbecillitas, id comitantur, veram tunc anaſarcae ſpeciem induit *. Etſi enim a locali cauſa proveniens hic affectus ad ſymptomaticas anaſarcae ſpecies referendus videatur; fieri tamen poteſt, ut ex locali cauſa naſcatur generale vitium, morbo ſuſtentando et augendo idoneum.

Chloroſis,

* Sauvages Noſ. Meth. Cl. X. O. 2. Gen. 7. et 8.

Chlorofis, quacunque de caufa nafcatur, leucophlegmaticam prae fefe fert cachexiam; imo ad pallentem et anhelam virginem quifquis afpicit, primo intuitu leucophlegmaticam pronunciat. Chlorofis non modo cachexiae leucophlegmaticae plurima figna prodit, fed etiam in anafarcam interdum definit, iifdemque fere remediis, quae anafarca incipiens defiderat, non infrequenter cedit. Quum vero in curanda chlorofi, quaedam adminicula uterini fyftematis non fatis vegeti requiri poffint; ideo notas aliquas tradamus oportet, quas cachexia chlorotica fibi vindicat peculiares. Legitima igitur chlorofis, quicum nobis unice negotium eft, puellas ab anno aetatis decimo quarto, vel circiter, male habet; nec ante folet dimittere, quam menftrua ad naturae normam fuos periodos fervarint. Praeter eas notas, quae fub hiftoria fupra comprehenfae funt, quaeque in omni genere leucophlegmatiae prodeunt, conqueritur aegrotans de lumborum dolore gravativo. Cutis cum pallore virefcit, et venae minus folito plenae

fubtus

ſubtus percurrentes cernuntur. Ut languor corpus, ſic animum major vecordia hebetat. Nubilis et viro matura virgo colloquia et ſodalitium declinat, abdita petit loca, poſthabitiſque vitae ſolatiis, difficili negotio e lectulo, quem ſola premit, excitatur. Adde, quod rei non eſculentae deſiderium, et menſtruorum retentio, ejuſdem mali pars ſint, et diagnoſis plus ſatis innoteſcet.

In obeſo nimis corpore functiones non ſine aliqua moleſtia exercentur: Superſtes autem color, illaeſa cibi cupiditas, et firma carnium compages polyſarciam a leucophlegmatia ſecernunt.

Crepitans ſub manu ſonus pneumatoſin manifeſte teſtatur; ne dicam quod hoc genus intumeſcentiae, ſeu ex plaga aliqua, ſive ſponte ſua oriundum, derepente ſuperveniat, citiuſque ad ſummum incrementum feſtinat, quam ut in ea dignoſcenda animus curantis pendeat.

Ecchymoma loco continetur, qui colore liveſcente, longe ſcilicet ab iſto leucophlegmatiae diverſo, foedatur.

Rachitis

Rachitis cachexiis annumeratur; a leucophlegmatia autem diſtat, quatenus mole capitis adaucta, et carnium marcore inſignitur.

Caetera hydropis genera anaſarcam plerumque habent comitem, vel excipiunt; cujus rei ratio ex theoria eluceſcet. Aſcites, et hydrothorax, ſaepius aliquam labem jocinoris, pulmonis, vel cordis, ſequuntur. Idiopathica anaſarca latiores in univerſo corpore agit radices. Hydrothoracis primarii principia quidem ſaepe obſcura ſunt, et notae ambiguae: Graviorem autem ſub initio dyſpnoeam, et pulſum inaequaliter intermittentem plerumque habet. Fluctuans in abdomine humor aſciten prodit. In primordio aſcitae, exigua humoris quantitate effuſa, fluctus facilius percipietur, ſi abdomen, dum corpus anteriora verſus inclinatur, attrectas. Contra, diſtento admodum abdomine, aeger reſupinari debet, ut humoris, qui intus eſt, fluctuationi ſpatium detur *.

THEORIA.

* Cl. Monr. Praelect. anat.

THEORIA.

Proxima causa leucophlegmatiae chloroticae, pariter et hydropicae, non alia esse videtur, quam solidorum nimis laxa compages, et atonia; atque plerumque inde subsequens intemperies vel dyscrasia aquosa sanguinis.

Si veteres de hac re differentes audiamus, chylopoiesis quocunque modo depravata habitudinem cacochymicam, distentionem pituitosam, et bilis inertiam efficiendo, leucophlegmatiam gignit. Quae quidem doctrina, a Boerhaavio ejusque discipulis decantata *, ab Hoffmanno quoque, tanquam adaequata cachexiae hujus causa accepta †, cum hodierna pathologia parum congruit; quae non adeo exploratam habet pituitosam humorum intemperiem; et omnes fere, quascunque humores subeunt, mutationes

* Swieten Com. ad Boerh. Aph. 71. 72. 1225.

† Hoffman. Oper. Suppl. pars 2.

mutationes a ſolidorum vitio, antiquis nimis neglecto, pendere docet. Dotes mechanicae, quibus ſolidum animale ad vitae uſus aptatur, ſunt tres, adhaeſio ſcilicet ſatis magna, mollities quaedam flexilis, et inſignis vis reſiliendi. Tanta enim adhaeſione partium opus eſt, ut motus quicunque ſine laceratione perficiantur. Oportet quoque, ob eandem cauſam, partes ſolidae, aliae magis, aliae minus ſe flecti ſinant *. In tenera aetate, ſexuque ſequiore, mollities major eſt: Annoſis adhaeſio nimia: In athleticis vis reſiliendi potiſſimum eminet. Has varietates intra certos limites fert natura; ſi vero aliqua harum proprietatum prae caeteris admodum augeatur, morbus in proclivi eſt. In leucophlegmatia adhaeſionem ſolidorum multum imminutam teſtantur omnia, quae primo intuitu ſe produnt ſigna, flacciditas, mollities, facilis ab humore diſtentio. Quinetiam, diminuta ſic ſolidorum adhaeſione, diminuitur quoque vis iſta contrahendi, qua eadem ſolida ad omne vitae munus inſtruuntur.

* Cl. Gregor. Conſp. Med. Theor.

untur. Atque proinde, ubi ſolida ſimpliciter dicta id genus vitii contrahunt, quod Gaubio debile, laxum, flaccidumque appellatur; quiſquis oeconomiae motus perinde eorum, qui ſine voluntate fiunt ac eorum, qui mentis imperio obſequuntur, languidus erit et difficilis. Hinc illa membrorum pigrities, et debilitas: Hinc ſub initio remiſſior ſanguinis circuitus. Cor enim et arteriae ſolito minus valide agunt in ſanguinem, qui lento greſſu ad dextram aurem redux, lentas ciet contractiones. Siquando autem refluus venarum ſanguis levi muſculorum molimine citetur, ſequitur ut is cor obruat, et in abnormes motus rapiat: Eſt enim unda major quam ut continuo a corde jam debellato arteriis tradatur. Pulmo ſimul, ſi colluvie aquoſa opprimatur, tranſeuntem ſanguinem moratur. Creſcente quidem morbo, pulſus celerius micat, atque, uti in hecticis, maxime circa veſperem acceleratur. Quae hydropicorum febricula ab effuſi laticis irritamento, aut a natura contra vim morbi luctante, effici exiſtima-

tur. Potior autem videtur ſententia, quae celeres cordis arteriarumque micationes ſoli debilitati tribuit; neque enim naturali molimine, neque irritamento laticis effuſi, opus eſt, ut ſanguinis exigua quantitas, quae nunc vaſis ineſt, contractionibus brevioribus provehatur. Non ideo negatum ibo, accumulatum laticem ſaepe ſub finem morbi reſorptum arteriis calcar addere: At pulſus celer eſt ubi abſorptio impeditur: Ergo haec illius cauſa neceſſaria non eſt. Anorexia et dyſpepſia, ut atoniam ipſius ventriculi manifeſte declarant, ſic omnium ſolidorum atoniam indicare videntur; et profecto, ſi febris analogia uti licet, haec ventriculi atonia exiles arteriarum fines praecipue relaxatos et infirmatos eſſe indicat. Verum, ne videar analogiam inter morbos tam longe inter ſe diſcrepantes proponere, aut cum iis conſentire, qui mille morbos toto coelo diverſos in una aſthenia poſitos finxerunt; juvabit paucas notas ex multis proferre, quae chronicam hanc atoniam, ab atonia febrili diſtinguendo abunde ſufficiunt.

ciunt. Haec ſubito incidit, citius ad ſummum pervenit, citiuſque naturae vel artis ope ſublevatur. Illa ſenſim irrepit, paulatim diuque creſcit, nonniſi poſt longum tempus vincenda.

Superioris aevi ſcriptores omnigenae aegritudinis culpam in ſanguinem conferebant. Hodierni medici cauſas altius repetunt, eo prudentiores quod, ſolidorum vitia dum proſpiciunt, mutationes fluidorum haud praetermittunt. Soluta ſolidorum compages, et permanens atonia labem ſanguini nequeunt non inferre. Et in primis ſtomachus, haud ſecus ac aliae partes relaxatus, infirmuſque, officio ſuo deeſt, et concoquendo cibo prorſus impar, chylum male elaboratum duodeno permittit. Itaque ex officina cibi, crudus et forſitan corruptus chylus ſanguini ſubminiſtratur. Ipſius autem ſanguinis craſis tandem tenuis et aquoſa fit. Rubrarum ſanguinis particularum origo, et utilitates nondum ſatis perſpectae ſunt. Hoc ſaltem ſcire liçet, quod quo validior ſit vaſorum actio, eo uberius produ-

cuntur,

cuntur, et viciſſim, quanto magis eae in ſanguine abundant, tanto magis renitent et diſtenduntur vaſa. Debilis nunc vaſorum actio, rarae particulae, et pallidus ubique color. Item ſeroſitas iſta, quae per craſſiores partes diffuſa juſtam fluiditatem toti ſanguini conciliat, et cujus omne quod ſuperfluum eſt trans cutem colari, aut per vias urinarias ſecerni ſolet, ſolida nunc inundat et magis emollit. At, ſi vaſa ſanguifera adeo languent, ut ab inundante humore neque per ſummam cutem, neque per renes ſeſe expedire queant; effuſio per breves exhalantium fines ſequatur neceſſe eſt; et haec effuſio in imo corpore primum fieri expectanda eſt; quia ibi languidior circuitus eſt, et grave pondus adſcendentis in venis ſanguinis, iter ejuſdem ex arteriis impedit, et in exhalantes fines urget. Cuique corporis humani cavo, quantumvis exiguo, ſua ſunt oſtia exhalantia, neque ulla pars celluloſae telae eis deſtituitur. Hae prodit halitus, qui ſano corpore per lymphatica vaſa ibidem inhiantia continuo reſorbetur;

ſorbetur ; ſic enim ab ejus accumulatione et corruptione praecavet natura. Quum vero nimius in ſanguine humor facilem per oſtia exhalantia, nunc patentiora, habeat exitum ; cur ideo leucophlegmatica diatheſis in anaſarcam deſinat, cauſa manifeſta eſt. Ac profecto nimia exhalantium laxitas atoniam corporis ſequitur ; diatheſinque, e qua anaſarca pendet, hydropicam magna ex parte conſtituit. Uti enim in membro paralytico ſuperveniens oedema non aliam cauſam, niſi exhalantium laxitatem videtur agnoſcere ; ſic intumeſcentia generalis ſimile eorum in toto corpore vitium indicat. Quinetiam credibile eſt, vaſa lymphatica generalis atoniae, vel in initio participes, effuſum humorem ea, qua debet, celeritate non devehere. Quicquid eſt, ubi ab effuſione talis diſtentio cellularum aut cavearum factum eſt, ut oſtia lymphaticorum, vel partes oſtiis proximae, vehementem ſubeant compreſſionem, tunc lymphaticorum actio ſupprimetur : Etſi enim levis diſtentio abſorptionem excitet, vehemens tamen

men ſupprimit. Ut ſemel eſt effuſa major humoris copia, quam quae a vaſis lymphaticis exhauriatur; in perviam ubique telam celluloſam abit; et, creſcente morbo, molem totius corporis mirum in modum adauget. In abdomen ſi tranſeat, tunc aſcite ſimul, et anaſarca aegrotans premitur. Cerebrum quoque iidem periculo objicitur. Saepius autem pulmo, et thorax plectuntur; unde orthopnoea et hydrothorax, cum anaſarca complicantur. Igitur ab univerſo vitio localis hydrops evenire poteſt: Contra multus in abdomine vel pulmone congeſtus humor, vel innatus tumor, liberum ſanguinis per venas regreſſum impediendo, anaſarcam ſymptomaticam ſaepe producit. Quod ad aquae ita late diffuſae ſedem attinet, in eorum ſententiam non concedendum eſt, qui aquam cum liquato adipe confuſam exiſtimant. Adeps enim propriis ſacculis contentus eſt, qui alluentem humorem excludere videntur: Quinimo in cadavere plus uno ex induſtia perluſtrato, adeps ſuam indolem ſervaſſe naturalem, vel

parum

parum mutatam deprehenſus fuit *. Expendendae nunc

REMOTAE CAUSAE,

Quae ſolidorum infirmitatem, fluidorum tenuitatem aquoſam, et exinde univerſi corporis habitum leucophlegmaticum inducendo, valent.

Aër frigidus humiduſque, qualis in terris uliginoſis et depreſſis inſidet, corporis vigorem ſine dubio diminuit. Perfrigidi quidem aëris incurſio ſummum corpus conſtringit, et oeconomiae vires excitat; neque, ſi materiam perſpirabilem reprimit, adeo ſanitati inimica eſt, modo vicaria excretio per urinam integre perſtet; ſed a diuturna frigido humore referti aëris applicatione metuendum eſt, ne ſolidorum contextus, et vis reſiliendi ſenſim infirmetur, proindeque ſanguis nimis tenuis et aquoſus tandem evadat; neque alia cauſa eſt, quantum

* Cl. Monro prael. anat.

tum aſſequi potui, cur chloroſis, eique ſimiles affectus, quibuſdam in regionibus, crebro et pertinaciter incumbant; quorum affectuum quandoque valentiſſima medicina eſt aëris ſolique mutatio. Non dubium eſt quin vaſcula in ſumma cute patentia, ut alias materiam perſpirabilem, ſic alias multum humoris ab aëre, illa ſuppreſſa, imbibant. Haec vero abſorptio potiſſimum fit, ubi humida frigidaque coeli intemperies eſt, aut languidior ſanguinis circuitus. Imo in hydropicis videtur cutis adeo eſſe bibula, ut propemodum nulla per eam eliminetur materia perſpirabilis. Ita, inverſo humorum tenuium curſu, idiopathica anaſarca incipere, aut certe augeri poteſt.

Cibus ex leviſſima vel tenace materia— alia hujus vitii cauſa eſt. Nimirum perverſa victus conſuetudo, vel aſſiduus uſus eorum, quae viribus ſtomachi concoctricibus difficulter ſubiguntur, ipſi ſtomacho nocet, et leucophlegmatiae viam ſternit. Hoc crimine accuſantur alimenta ex materia craſſa, fibroſa,

fibrosa, pingui, glutinosa, farinacea non fermentata, oryza ex aqua decocta *.

Frigidae et immodicae potiones.—Sydenhami verba sunt, 'Aquae potatio in iis, qui 'generosis liquoribus diu adsueverant, sanguini eandem noxam infert.' Quod sagacis medici effatum facilem et rationi consentaneam habet explicationem: scilicet, quo fortiori stimulo solida adsueverint, eo fortioribus adhuc indigent, ut eorum tonus servetur; subducto autem meracae potionis stimulo, corruit tonus. Caeterum frigidae, aestuante corpore, ingurgitatio leucophlegmaticam diathesin, vel ipsam protinus anasarcam, progignit; estque Sauvagesio anasarca hydropotarum ab alimentis aquosis, frugibus horaeis, aquis mollioribus, coenosis, aut acidulis intempestive adhibitis, oriunda †. Qua ratione nimis aquosa diaeta, vel dilutae potionis diuturnior usus ad anasarcam disponat, non ita difficile conceptu est. Extant autem exempla anasarcae illico

* Lind on hot climates, p. 2. c. 1.

† Sauvag. Nos. Meth. Cl. x. G. 7. Sp. 10.

poſt immodicos frigidi liquoris hauſtus, ſupervenientis. Hoc praeſertim iis accidit, qui ex labore ſudant, aut frigori eodem tempore ſunt objecti. An igitur hae poteſtates tonum exhalantium vehementer imminuendo effuſioni favent? Cur autem ſimul occludantur viae urinariae—quare non aliquis morbus pyrexialis potius quam hydrops accendatur, ignorare me fateor. Vaſa excernentia, dum frigore aliave comitante cauſa ſunt conſtricta, ingeſtas potiones tranſitu prohibent: has autem exhalantia eo facilius recipere, et in cava effundere videntur, quod a praegreſſo labore in atoniam dilapſa ſunt. Sed haec forſitan una eſt ex reconditis rebus, quae medicorum aciem adhuc fugerunt, de quibus dixit facetus Sterne: 'So great are the difficulties of tracing out 'the hidden cauſes of the evils to which 'this frame of ours is ſubject, that the moſt 'candid of the profeſſion have ever allow-'ed and lamented how unavoidably they 'are in the dark.'

Quietum

Quietum vitae genus.—Somnus in multum diem protractus, otiosa et sedentaria vita, denique motus animalis desuetudo, vires corporis vel in saluberrimis locis deterunt, et huic aegritudini ansam suas ludendi tragoedias ministrare possunt. Agilitati, et vigori omnium functionum assiduus musculorum motus magnopere auxiliatur. Desidiam magna malorum cohors debitis poenis insectatur: Enimvero 'nil sine mag-'no vita labore dedit mortalibus.' A remissiore musculorum motu atonia ventriculi, alvus tarda, circuitus sanguinis languidior, atque inde sanguinis ipsius mutatio, corporisque universi diuturna infirmitas. Quam ob rem, qui sedilibus infixi in artificium aliquod, vel studium impense incumbunt, quo in numero magna pars urbanorum et feminarum, omnesque pene cupidi literarum sunt, pallidi toties et oedematosi evadunt *.

Sanguinis detractio vel spoliatio.—Spoliatur sanguis, si pars sua crassior iniqua quantitate

* Sydenham, l. c. Ramazzini de morb. artific.

titate abducatur. Ex variis incommodis, quae ſanguinis diſpendium inducit, ſeu ſponte ſua, ſive mala arte profuſus fuerit, non aliud eſt magis cognitum, aut frequens quam leucophlegmatia. Subita vaſorum a miſſo ſanguine exinanitio cito plerumque reficitur; crebrae autem exinanitiones in infirmis, aut iis, qui ſorbitionibus eodem tempore liberaliter ſibi indulgent, tarde vel nunquam reſarciuntur: exhauriuntur enim majora vaſa, in quibus ſolis gluten particulaeque rubrae inſunt; neque hae ſanguinis partes, quae earum denſitas et craſſitudo eſt, canaliculos extremos ingrediuntur. Quum vero ſanguiferorum tonus nonniſi a denſioribus ſanguinis partibus pendeat, et excitetur; eorum igitur actio difficulter redintegratur, his amiſſis; et propter nimiam nunc in vaſis remanentem ſeroſitatem, leucophlegmatia, vel anaſarca facile accidit. Ad eundem effectum, diverſa aliquatenus ratione, confert glutinis ſpoliatio; cujus peculiare munus eſt rubras particulas omnes, et ſeroſitatis, quantum ad totam maſſam diluendam

endam ſufficit, a minimis vaſis tenacitate ſua continere: ſiquando igitur nimia ejus quantitas abſtrahatur, ſeroſitas vinculo ſoluta in fines exhalantes dimanabit. Gluten praecipue exhauriunt diarrhoea diuturna, bene largae ſuppurationes, diabetes mellitus, leucorrhoea, ſeminis immodica profuſio, egeſtio multae ſalivae, lactis nimis abundans, aut diuturna ſecretio.

Morbi praegreſſi.—Febres, phlegmaſias, alioſque acutos morbos, qui longum tempus duraverunt, aut multa exinanitione curati fuerunt, excipit ſumma ventriculi et totius corporis imbecillitas. Intermittentes quidem iterato paroxyſmorum impetu jecinori, aut lieni labem inferunt; cui plerumque accedit aſcites: fieri tamen poteſt, ut diatheſis leucophlegmatica ſine magna viſcerum labe ab intermittente febre naſcatur. In iis, qui ab acuto morbo convaleſcunt, tonicorum remediorum ſolennis et neceſſarius uſus eſt: intumeſcunt enim malleoli; et ventriculo vim morbi perpeſſo, ſi plus ciborum ingeratur quam is concoquere poteſt,

cruditas

cruditas et cachexia leucophlegmatica oboriantur neceſſe eſt. Eadem poſt variolas maturius juſto evaneſcentes: eadem a repreſſa ſcabie, proveniſſe traditur *. Aliquot ante annis innotuit mira ſcarlatinae in leucophlegmatiam proclivitas. Scilicet obſervatum eſt, tumorem leucophlegmaticum, primario morbo calamitoſiorem, complures maximeque teneros afficere; qui tumor tum poſt benigniorem, tum graviorem ſcarlatinam, ſupervenire conſuevit. Nonnullis in exemplis, frigidi aëris afflatus intumeſcentiae occaſio fuiſſe videtur †.

Cohibitae excretiones.—Neque minus ad hanc aegritudinem viam ſternit ſuppreſſio cujuſcunque fluxus, ſecundum naturam procedentis, aut ſtatutis periodis recurrentis. Exinde enim fit plethora, in cachexiam leucophlegmaticam degeneratura. Huc ſpectant urinae, perſpirationis vel ſudoris, haemorrhoidum,

* Recueil d'Obſervat. par Richard, t. 2. Sauvages, loc. cit.

† Plenciz. Tractat. de Scarlat. De Haen Rat. Med. cont. t. 1. Withering's account of the ſcarlet fever.

morrhoidum, maximeque menſium retentio vel ſuppreſſio *. Iſchuria ſaepius hydrocephalum gignit. Exemplum anaſarcae ab adiapneuſtia Sauvageſio memoratur, quod ex repentina ſudoris ſuppreſſione originem traxiſſe videtur, facilemque admiſit curationem †. At retentio excernendorum, etſi ad diatheſin leucophlegmaticam inducendam, vel anaſarcam protinus excitandam, valeat; ſaepius tamen pro ſymptomate ejuſdem diatheſis habenda eſt quam proxima cauſa. Exemplo ſit chloroſis. Hoc in morbo, priuſquam ſuperfluus ſanguis paratur, atonia ovariis, vel uterino ſyſtemati ingenita, cum toto corpore communicatur, et inde facta diatheſis leucophlegmatica, retentionis proxima et praecipua cauſa fit; qua manente, menſtrua cohibentur, ſublata profluunt.

Pathemata animum deprimentia.—Moeſtitia vires ſolidorum ſenſim labefactat, ſanguinis

* Friendii Opera, p. 96.

† Sauvag. Noſ. Meth. Cl. x. O. 2.

guinis circuitum tardat, et corporis ignaviae, quam ſecum ducit, pondus et perniciem addit; ut bene monuit Cato, 'Quando animus languet conſumit inertia vires.' Quinetiam amor impetuoſus, negato fine, vigorem corporis diſperdit: hinc ſaepe oritur leucophlegmatia nuptiis, non herbis, medicabilis. Terror etiam, omnes functiones turbando, huic malo occaſionem praebet; quantaque ſit ejus efficacia, innumera menſium repentino terrore ſuppreſſorum exempla abunde docent.

Abuſus liquorum ſpirituoſorum ventriculum, et hepar magnopere laedit, pravumque corporis habitum inducit vix aut ne vix coercendum, quin omnibus incaſſum adhibitis in hydropem deſinat; ut temulentorum praematura mors quotidie monſtrat.

De remotis cauſis ſatis ſuperque jam egimus. Singulas quidem ad ſingulos titulos, pro ratione agendi, referre commodum foret. Quum vero tanta ſit omnium inter ſe connexio; quumque ratio, qua aliquae ex

iis

iis in corpore agunt, non ita facilis explicatu ſit; praeſtat igitur ad egregii Praeceptoris tabulam, iterum tertioque evulgatam, lectorem relegare, quam rudem ejus epitomen adſtruere; notato tantum cauſas, quas ſupra poſui, pene omnes ſub primo capite iſtius tabulae comprehendi, et cum articulis D et E ejuſdem capitis, maxima ex parte congruere.

Quaedam ex recenſitis cauſis ſeminia nominari potuiſſent, quae tamen junctis viribus agentes in quocunque corpore morbum excitare valent. Aliqui morbi levem vel prorſus nullam excitantem cauſam deſiderant, quales ſunt podagra, ſcrophula, et quotquot alii primordiis corporis ſunt ingeniti. Itemque leucophlegmatia in temperamento phlegmatico exordia ſaepe ducit. Phlegmaticum temperamentum inſignitur laxa et debili corporis compage, ſaepe cum obeſitate, vultu pallido, cute levi ſine pilis, capillis albis, pulſu tardo, debili, vaſis ſanguinem vehentibus parvis, humoribus, ut fertur, aquoſis magis et blandioribus ſolito,

eorumque motu languido, concoctione, ſecretione, excretione, tardis, interdum impeditis, animo hebete, torpido, aliquando ſomniculoſo, haud facile commovendo, ad metum et avaritiam maxime proclivi *.

Omnium conſenſu, feminae praē viris leucophlegmatiae ſunt obnoxiae; cujus rei cauſa a ſolidorum imbecilliore contextu, damnoſo, quo utuntur, otio, uteroque, uberrimo morborum fonte, repetenda eſt. Utrique tamen ſexui, cuique aetati, incidit. Ex ſententia plurimorum ingraveſcens aetas anaſarcae idiopathicae opportunior eſt: imo plures dimidio eorum, qui anaſarca corripiuntur, decimum luſtrum exceſſiſſe dictum eſt †. Contra, celebris Profeſſor Homius aetatem adoleſcentem, aut adoleſcentiae propiorem, ſaepius hydrope laborare animadvertit ‡.

PROG-

* Cl. Gregor. Conſpect. Med. Theor. cap. 23.

† Egregius Duncanus in praelect. practicis.

‡ In praelectionibus.

PROGNOSIS.

Prognoſis variat pro varietate et potentia cauſarum, pro aegrotantis temperamento, et ipſius aegritudinis ſymptomatis et duratione; perpetuumque eſt, ut quo minor ſit ſolidorum laxitas, et ſanguinis intemperies, eo citius et felicius idoneo remediorum auxilio vinci poſſit. Si res inveteraverit, vix ulla medicina periculo ſubtrahit.

> Vidi ego, quod fuerat primum ſanabile, vulnus
> Dilatum longae damna tuliſſe morae.

Curationi ſatis opportuna eſt leucophlegmatia, quae convaleſcentes ab acutis morbis aggreditur, ſi neque vires penitus fractae ſunt, neque utique aliquod viſcus a praegreſſo morbo induruit; eademque jam paulo provectior curationem ſaepe admittit. Ubi autem convaleſcens in tuto eſſe videtur, verendum eſt, ut ne in eandem imbecillitatem recidat, niſi iiſdem defenditur bona

valetudo,

valetudo, quibus reddita eſt. Creditum eſt, recte an ſecus neſcio, feminas plures quam viros ſanari, quia illae minus objectae ſunt pulmonum hepatiſque vitiis *. Quae diu leucophlegmatia laborarunt virgines, ſaepe ſteriles evadunt nuptae: ſi vero conceperint, periculum eſt ne abortum faciant.

Effuſione facta, ſi ſeroſa colluvies intra pulmonis, cordis, cerebrive cellulas, aut involucra, congeratur, metuendum eſt ne aliqua functio vitae apprime neceſſaria ſuffocetur. Itaque, ſi ab oppleto pulmone facies cum livore turgeſcat: ſi aegrotans defectionibus animi corripiatur; utique ſi delirio agitetur: quicquid horum accidat, in anguſto ſpes eſt, et aliquid in natura ſpei vix quidquam in medicina eſt. Natura autem duce et monſtrante viam, nil deſperandum eſt, nil intentatum relinquendum. 'Non eſt in arte ut omnes ſanentur; ſed 'hoc eſt in arte, ut nihil omittatur.' Effuſus humor, ſi natura vel arte reſorbeatur, plerumque per urinas eliminatur; interdum

* Milman de hydrope.

dum inteſtina petit, et, alvi dejectionibus ingente copia excitatis, tumor reſidit. Interdum per cutem exit: rarius, aliquando tamen, ptyaliſmus aegrotantem colluvie liberat. Nonnunquam vi humoris diſrupta cutis lethiferam ſubit gangraenam.

Eſt etiam ubi ab incremento febriculae, quam ipſe morbus accendere ſolet, gracileſcit corpus *.

CURATIO.

Habita jam ratione ſignorum, quae morbum praeſentem declarant: explicata quoque natura cauſarum, quibus is originem debet; ſupereſt ut curatio cauſis quam maxime conſona et accommodata inſtituatur. Et in primis oportebit, credo, quaedam monita ad diatheſin leucophlegmaticam recens natam, et ab incunabulis prodeuntem ſpectantia

* Recueil d'Obſerv. de Medicine, par Richard de Hauteſierck, tom. 2.

tantia tradere. Haec enim diatheſis, ſi qua alia, attentionem meretur maturam. Enimvero, ne dicam pericula, quae a colluvie ad abdomen et nobiliora organa congeſta, imminent ; vix fieri poteſt ut humor, ſi ingente copia effuſa fuerit, penitus exhauriatur, quin ſimul exhauriantur vires aegrotantis, remediis inter ſe repugnantibus, laceſſiti. Hinc tot recidivi, tot funeſti hydropis exempla. Sed hoc plebeculae vitium eſt lugendum magis quam corrigendum. Uti enim in caeteris, qui inſidioſe aggrediuntur, morbis ; ſic in anaſarca idiopathica ingreſſus leves, qui facile expugnabiles fuiſſent, contemptui ſunt. Interdum vero tempeſtivis auxiliis locus eſt, quae, quum nuſquam non neceſſaria ſint, ſaepe ſub initio ad avertendam anaſarcam efficacia eſſe poſſunt ; ideoque priore loco in conſiliis dignantur.

CONSILIA

CONSILIA MEDENDI.

I. Diatheſin leucophlegmaticam corrigere
  A. Cauſas ejus levando.
  B. Tonum ſyſtemati reſtituendo
    a. Aëre ſalubri.
    b. Diaeta idonea.
    c. Exercitatione.
    d. Frictione.
    e. Compreſſione.
    f. Chalybeatis.
    g. Cortice Peruviano.
    h. Medicamentis amaris.

II. Effuſum humorem evacuare
  A. Per vias naturales.
    a. Emeticis.
    b. Catharticis.
    c. Diureticis.
    d. Diaphoreticis.
    e. Sialagogis.
  B. Per emiſſaria nova.
    a. Veſicantibus.
    b. Inciſionibus.
    c. Fonticulis.
    d. Attrahentibus.

III. Effusi humoris absorptionem promovere

A. Auxiliis stimulantibus.

a. Frictione.

b. Electrizatione.

c. Mercurio.

IV. Recidivum morbum arcere

A. Auxiliis tonicis supradictis, et

a. Balneo frigido.

I. Prae primis igitur medico circumspiciendum est, ne qua causa ex supradictis in corpus agere pergat, operamque suam reddat irritam. In feminis menses, si immodice aut enormiter profluant, sistendi; ad justos periodos quam proxime redigendi. Contra, suppressio alicujus secretionis naturalis aut consuetae, si tale quicquid in causa fuerit, accommodis remediis quam primum removenda est; in eo enim vertitur medelae cardo. Chlorosi autem aliisque leucophlegmatiae casibus, quae obscuriorem temperamento, vitaeque regimini debent

bent originem; quae tarde irrepunt, et tarde recedunt: his apprime conveniunt auxilia, quae proxime ſubjiciam.

Aër ſalubris.—Quantum aëris ſolique mutatio ad maxime rebelles morbos abigendos faciat, neminem, niſi medicae ſcientiae prorſus ignarum, praeterire exiſtimo. Si aegrotans in aëre humido frigidoque hoc vitium contraxit, coelum mutare debet, atque habitare aedificio lucido perflatum aeſtivum, hibernum ſolem habente; cavere meridianum ſolem, matutinum et veſpertinum frigus, itemque auras paludum atque ſtagnorum; minimeque nubilo coelo ſe committere, ne modo frigus, modo calor moveat, quae res maxime gravedines diſtillationeſque concitat. Quod bene ſanum Celſi monitum, cum nuſquam non utile ſit, tum maxime iis, qui in gravibus propter humiditatem locis verſantur, neceſſarium eſt.

Diaeta idonea.—Cibi quoque delectus habendus eſt: aptiſſimus eſt ex media vel valente materia, quae ſimul nutriens coctu-

que facilis eſt ; qualis eſt venatio, caro aſſa cum pane heſterno ; non ita multum olerum, quippe quae in ventriculo promptius aceſcant. Neque condimenta aliena ſunt. A dilutis potionibus ſibi temperare aeger debet, vinoque generoſo uti ; neque multum nocet interdum caluiſſe mero. Apprime adeo leucophlegmaticis convenit illud Divi Pauli praeceptum, vinum ventriculi cauſa commendantis. Si vero vinum intus coacuit ; tunc liquores, qui plus alcoholis habent, utendi veniunt.

Exercitatione aſſidua opus eſt ; neque enim ulla res magis corpus confirmat. Igitur, ſi aegrotantis ſatis validae vires ſunt, multus in ambulatione eſſe oportet. Exercitationis finis eſſe debet ſudor, aut certe laſſitudo, quae citra fatigationem ſit. Si id imbecillitas non ſinit, aut in ambulatione leni ſe dimovere debet, aut pro exercitatione geſtatio ſit, quae, ut longis pleriſque morbis, ſic leucophlegmatiae aptiſſima eſt ; et primo lenior in rheda, deinde vehementior per equitationem conveniet. Navigatio

cum

cum alia geſtationis commoda habeat, hoc maxime praeſtat, ut aëre vario, et ſalubri vires animumque refocillet, exſpirationem inſenſibilem adaugeat, et proinde ventriculum egregie roboret.

Frictio.—Commodum eſt etiam frictione uti, maximeque ad pedes et crura, ſi quis ibi humor tumorem fecerit. Frictione enim promovetur ſanguis; humor citius reſorbetur, et, concitata minimorum vaſorum actione, extenuatus per ſummam cutem ſenſim difflatur. Quae omnia, quo melius conſequamur, praecipiendum eſt, ut corpus veſtimentis calidis cingatur. Eo praeſertim tempore, quo diaphoretica in curatione praebentur vel indicantur, laneis induſiis contegendum eſt. Etſi quoque exercitatio ſub dio melior ſit, neque tamen inclementi coelo ſe committere debet: ubi enim exhalatio per cutem inhibetur, tunc maxime ab ambiente aëre vaporem recipiendo corpus opportunum eſt. Maxime prodeſt matutinis horis fricatio; tunc enim ſolent partes detumeſcere. Inter perfricandum

quoque

quoque juvabit pannos ſurſum magis quam deorſum dirigere: ita curſus ſanguinis venoſi recta ad cor promovebitur.

Compreſſio—Caeterum ad roborandas partes flaccidas, vel intumeſcentes, conferunt faſciae, quae aequalem faciant compreſſionem. Sed cavendum eſt, ne internae congeſtionis occaſionem praebeant. Incipienti crurum oedemati conveniunt tibialia, quae circa pedes arctius ligata, deſcenſum humoris optime prohibent. Mos fuit et faſcias, et pannos, qui ad frictionem adhibentur, reſina vel aromate aliquo fumigare; ſed parum in his auxilii eſt.

Remedia tonica prioribus diaetae et exercitationis adminiculis ſunt interponenda. Ex innumeris fere medicamentis, quae huc pertinent, nobiliora exequar.

Ferrum inter praeſtantiſſima et tutiſſima eſt eorum remediorum, quae vi gaudent tonica. Quanti ſit pretii in chloroſi leucophlegmatica in vulgus quotidiano uſu notum eſt. Moris eſt in hac aliiſque Europae plagis, cachecticos ad acidulas vel thermas martiales

tiales relegare; unde redivivo quasi corpore plures redeunt. Quod non tam aquarum marte leviter imbutarum, quam exercitationis, aëris, et hilaritatis, beneficium est. Quibus multus humor jam per cellulas effundi incepit, his forsitan magis convenit martis rubiginem vel tincturam accipere, et humore prius liberari quam aquas martiales ingurgitare audeant. Hunc mihi scrupulum injecerunt graves medici, pericula ex abundante potu inculcantes. Nescio tamen annon vanus sit eorum metus; namque pessimorum hydropum aquis mineralibus depulsorum ipsi meminerunt *. Utcunque erit, prudentis medici est, dum hae tentantur, a parca copia incipere, quam augere debet, si facile eas fert aeger, et urina ingestis aquis respondet.

Cortex Peruvianus.—Ex quo nobilissimi hujus remedii genuinus in corpus humanum effectus innotuit, ne ullus quidem debilis laxaeque fibrae soboles se prodit morbus,

* Conf. Swieten. Comm. ad Boer. Aph. 1236. et seq. Tissot de variolis, &c. apud Sandif. Thes. v. 2.

bus, quin ad hoc illico decurratur; neque immerito quidem, ad praecavendum recidivum hydropem, ab omnibus laudatur: quod, ſi rarius incipienti adhibetur, id negligentiae aegrotantium tribuendum, qui medicum non ante advocant, quam effuſo humore penitus undique diffluant: ſed et in hoc rerum ſtatu multum commodi pollicetur. Siquidem diebus exinanitione aliqua non occupatis adhibetur, ventriculum roborat, efficitque ut neceſſariae evacuationes minore virium diſpendio perferantur. Inquit quidem Sydenhamus, 'evertet ca-'tharticum quidquid corroborans ſubſtrux-'erit *.' Noſtra autem aetate, uſus mitiorum catharticorum invaluit, quae neque vires radicitus convellunt, neque negant ſpatium corroborantibus, quorum ſubſidio feliciorem fore curationem credibile eſt.

Una cum diureticis quoque nonnulli cortice Peruviano utuntur. Ubi etiam ulcus, vel inciſio cutis, conſilio emittendi humoris facta

* Sydenham. loc. cit.

facta eſt, tunc inſignis corticis Peruviani uſus eſt; ſed de his poſtea. Interea, quum hoc remedium parum proficiat, niſi plena manu miniſtretur; expedit aliquod aroma ei admiſcere, ne infirmum ſtomachum offendat. Cum cortice Peruviano compoſita, aut in ejus vicem ſubinde adhibita ſunt

Medicamenta amara, e. g. radices gentianae, zedoariae; herbae menyanthis, abſinthii; flores chamaemeli, centauriae: ut ſileam columbam, quaſſiam, tanacetum, et caetera multa, quorum copia faſtidium facit. Inſtar omnium eſſe videtur vinum ex rad. gentian. zedoar. et ſummit. centaur. minoris, cum aromate aliquo medicatum, dilecto venerandoque meo patre probatum. Si radix columbae aut quaſſiae, ob majorem, qua praeditae ſunt, amaritudinem, magis arrident; earum in ſpiritu vinoſo, vel generoſo vino infuſa commode exhibentur. Convenit autem aroma aliquod in gratiam ventriculi adjicere.

II. *Effusum humorem evocare.*—Hoc plerumque primum medentis consilium est: quod, ut tuto exequatur, aegrotantis viribus nimium jamjam imminutis religiose parcendum est. Genera hydropis alia alias exigunt curationes. Uti vero idiopathica anasarca ab atonia universa gravique proxime pendet, ita fortiora evacuantia in perniciem aegrotantis non cedere nequeunt. Satiusque est humoris exitum, per vias naturales primum emoliri, nisi gravis admodum dyspnoea, aut valde distenta cutis, expeditius iter suadeant.

Emetica.—Quanquam emetica in hydrope veteres multum laudabant, quorum Aetius dixit: maximum hydropis subter cutem auxilium vomitiones praestant; tamen in desuetudinem postea fere abierunt; cum pauca tantum eorum in scriptis medicis inveniantur vestigia; plurimique in tractanda hydropis curatione, ejusmodi remedia ne cogitent quidem. Sydenhamus vomitoriis cum fructu usus est; eaque commendat Boerhaavius, quamvis Swietenius parvi

pendere

pendere videatur. D. Monroius proponit emetica; ſatis autem ponderoſas adjungit cautiones, quas ſi ſequaris, vix unquam ea exhibebis. Laudantur vero, ob concuſſionem corporis, qua debilia contrahuntur, tenacia ſolvuntur. Sperant etiam inde alvum liquidam et diureſin, quibus commotus humor expelli queat. Videtur quidem eorum uſus non ſatis ſecurus; fortiora enim adhiberi debent, ſi concuſſio valida exſpectanda eſt: Haec vero in hydropicis, ut ſanitatem adferre, ita mortem accerſere poteſt. Quare vomitiones plenas et vehementes idiopathicae anaſarcae minus convenire arbitror, aut caeteris evacuantibus eſſe plerumque poſthabendas. Nihilo tamen ſecius, ſi caeteris remediis incaſſum adhibitis, corpus colluvie humorum pene opprimitur; ſi molimina ad vomitionem naturaliter ſuperveniunt; ſi per apertam plagam alicubi factam abundans intus humor tardius effluit: his in caſibus vomitio utilis eſſe poteſt. In initio quoque, ſi frigus occaſio morbi fuit, ab emeticis curatio-

nem recte incipias; et in iis praeſtantiora ſunt ſcillitica, aut quae ex antimonio parantur: illa urinam magis movent; haec certius vomitionem cient, et ſimul humores ad ſummam cutem deferunt, et ſudorificorum officio optime funguntur. Denique, nil dubium eſt quin vomitus abſorptionem egregie promoveat, et alvum urinamque citet. Multos quoque humore propemodum ſubmerſos vomitio ſponte oriunda letho eripuit. Neque non catharticis fortioribus plerumque anteferenda videtur. Emetica caute vel omnino non adhibenda credo, ubi ſpiritus vix trahitur; ubi lethargi, vel apoplexiae prodierunt indicia.

Cathartica quanti fecerunt veteres vulgo notum. Et eorum quidem quam reliquorum evacuantium, vis hydragoga potentior eſt, et profectus evidentior. Verumque eſt hydropes varios per alvi dejectiones, natura vel arte excitatas, ſaepe penitus ſublatos fuiſſe. In eo tamen hydropis genere, de quo nunc agitur, ſumma ventriculi totiuſque

corporis

corporis debilitas uſum fortiorum catharticorum omnino prohibet. De quibus Sydenhamus, catharticorum alioquin fautor, haec habet. ‘ Quoties tumor hydropicus a ‘ ſanguinis tono relaxato et deperdito, ſpi- ‘ ritibus penitus exhauſtis, vel a nimia de- ‘ bilitate, atque evacuatione naſcitur ; in ‘ his, atque aliis morbis ad hunc modum ‘ factis, aeger non tantum non juvabitur ‘ a catharſi ; ſed, imminuto adhuc amplius ‘ tono, malum augebitur.’ Et Meadius, ‘ Ubi fractae vires, quo plus humoris ca- ‘ thartica per alvum eliciant, eo majore ‘ ipſius copia cava mox tumeſcent.’ Quamobrem elaterio, gambogia, ſcammonio, et id genus draſticis repudiatis, hodierna praxis lenioribus fere continetur. In his cryſtalli tartari eximios praeſtiterunt effectus. Earum modicis diuque continuatis doſibus utendum eſt ; ſic enim, illibatis aegri viribus, alvum leniter liquare, urinamque multam movere comperiuntur. Menghinus auctor eſt, ut ſemunciam ejus, aut ſex drachmas refractis doſibus quotidie exhibeamus,

beamus, et in ejus usu per triginta dies, vel ultra perstemus; ita enim complures varii generis hydropes ipse fugavit. Huic fidem facit experientia cel. Homii, qui undeviginti aegrotorum vario, et inveterato hydrope laborantium, quibus id remedium praecepit, plusquam dimidiam partem servavit. Idem inchoantis morbi remedium perutile invenit Tissotus; sed inveteratum non vicit, neque casibus ab admodum laxa fibra ortis accommodum arbitratur *. Supra laudatus Milmannus cathartico ex pulv. rad. jalap. et calomel. composito alvum semel iterumque solvit, et diebus catharsi non destinatis, potui ad libitum dat decoctum hordei tartarisatum: talique administratione urinam citius quam Menghini methodo potuisset, moveri affirmat †.

Ad

* Tissot, l. c.

† ℞ Aq. Hordeat. lib. ii.
Cr. Tart. ℥ss.
Spir. vin. Gallici, ℥i. ad ℥ii.
Sacchar. q. s.

Ad idiopathicam anaſarcam quod attinet, ſi quid valeat meum judicium, ubi humor adeo increvit, ut pulmoni, vel cerebro minitetur, et caveas diſtendendo ſui impediat abſorptionem; commodum eſt catharſin protinus inſtituere: ſic enim expeditius, et certius humoris moles diminuetur. Quum vero cr. tartari caeteris fere omnibus catharticis eo praeſtent, quod vim diureticam una cum leni cathartica exerant; igitur omnium aptiſſimae videntur. Vis earum cathartica, addito jalappa, pro re nata augeri poteſt. Sin diureſis magis deſideretur, minores doſes crebro, et cum potione liberaliore ſunt ſumendae.

Pilulae Bacheri.—Huic ſimilia medicamenta in Germania olim decantabantur, quorum apud Stahlianos magna fuit opinio*. Pilulae, quibus Bacherus novam in Gallia famam non ita pridem conciliavit, extract. hellebor. nigr. myrrh. et pulv. fol. card.

* Vide Junckeri, Conſpect. Therap. et formul. medicam.

card. benedict. continent. Quo modo quibusque cautelis conficiendae sint, cum hic indicare longum esset, ex Milmanni, vel Richardi libris citatis discere licet; qui quoque earum effectus in hydrope probatos commemorant. Earum vis tonica, si recte dicitur esse tonicum, quod alvum toties cum urina satis vehementer excitat, partim ab encheiresi sedula longaque, qua acor hellebori retunditur; partim a cardui, et forsitan myrrhae proba cum helleboro mistura pendet. Tunc autem optime, vel solum in levando hydrope succedunt, ubi corpus largo potu ad earum usum praeparatum est. ‘ On voit par la reunion des ‘ observations, que la boisson est toujours ‘ avantageuse dans l'hydropisie, qu'elle est ‘ indispensable pour preparer, et faciliter ‘ l'effet des pilules toniques. Que l'action ‘ de ce remede n'est jamais plus assurée ‘ que quand la fibre est dans le relache- ‘ ment, et que quand elle n'est pas a ce ‘ point precis, par la maladie, il faut l'y a- ‘ mener par l'art, ce que la boisson copi-

‘ euse

'euſe ne manque jamais d'operer;' *Recueil d'Obſerv. par Richard, l. c.* Inter utendum quoque, liberas potiones injungere ſolent, quarum potius quam pilularum beneficio aegrotantes plurimos evaſiſſe, Milmannus ſuſpicari videtur.

Diuretica.—Hoffmanni ſententia eſt, 'Poſt ſufficientem per alvum evacuationem 'diuretica in uſum vocanda ſunt.' Et hanc viam, praeeunte natura, praecipue tentandam judicat Boerhaavius. Riverius quoque, de diureticis ſermonem faciens, 'caeteris, inquit, praeſtant medicamentis ea, 'quae per urinas ſeroſos humores evacuant; et felicior utplurimum curatio hac 'via ſolet ſuccedere.' Nimirum graviſſimus quiſque medicus diureſin collaudat; quippe quae corpus minus turbet debilitetque. Sed negotium medico faceſſit diureticorum incerta virtus. In hydropicis quidem ſaepe ſpem fallant neceſſe eſt, quum vel in ſano corpore, apertis urinariis viis, ſaepe alio deferantur. Amplam quidem

diureticorum

diureticorum farraginem veteres nobis tradiderunt, quorum aliqua, hucusque in materiam medicam recepta, propriam desiderant animadversionem, ne quando innocua copia medenti deficiat.

Semen. sinapi, rad. raphan. rustic. iisque similes herbae siliquosae, uti non raro urinam movent, sic leucophlegmatico temperamento apprime idoneae esse videntur. Matrona desperatam recepit sanitatem, quae sem. sinap. cum decocto genistae quotidie per longum tempus devoravit *.

Allium.—Allii facultas diuretica agrestium experimento cognita est, quibus bulbus ejus integre devoratus familiaris et satis prospera medicina est. Forestus inveteratos hydropes solo allii usu curatos vidit †; et Sydenhamus testatur, quod solo allio, missis evacuantibus, hydropem ex aliorum praescripto, non suo, depulsum noverit ‡.

Juniperi

* Mead monit. de hydrope.

† Observ. tom. 2. lib. 19.

‡ Loc. cit.

Juniperi baccae et oleum.—Baccae juniperi infusum praebent, quod ob diureticam virtutem satis celebre est; sed magna harum copia parari debet, cum hoc remedium facile a corpore feratur, nec turbas excitet. Hoc plus semel profuisse, imo morbum nondum inveteratum profligasse, memoriae proditum est. Commode etiam in leucophlegmatia, post scarlatinam orta, infusum earum aquosum ad lotium pellendum puerulis datur *. Oleum juniperi suas etiam vindicat laudes. In Commentariis Medicis Edinb. ann. 1783, cum cortice Peruviano exhibitum invenio †. Quod medicamentum post debitam catharsin, uti et inter purgandum, suadebat auctor; eoque humorem alias recidivum prohibuit, et tres hydropicos sanavit. Junipero affines terebinthinae eodem consilio adhibitae fuerunt.

* Swieten comment. l. c.

† ℞ Dec. cort. Per. ℥ss.
Tinct. cort. Per. Huxh. ʒiij.
Ol. junip. gtt. iv. M. f.
Haustus meridie et nocte sumendus.

Cantharides efficacius praebent diureticum quam millepedes, aut reliqua ex animalibus petita medicamenta; et acerrime quidem omnes fere partes, quae urinae ſecretioni et excretioni inſerviunt, irritant; neque tamen ſemper urinam efficaciter expellunt, nec ſine gravi incommodo, vel etiam periculo, ſi incautius adhibitae fuerint *. Quam ob rem, repugnante etiam Hippocratis auctoritate, qui tres cantharides in tribus cyathis aquae contritas praeſcribere ſolebat, eas aliis diureticis poſthabendas credo. Tincturae largo potu dilutae tutior uſus eſt.

Alcalina.—Cineres geniſtae in vino Rhenano, cui folia abſinthii prius fuiſſent adjecta, multos hydropicos, pro deſperatis habitos, Sydenhamo teſte, ſanarunt. Numquid ad vim diureticam confert oleum, quo cineres herbarum nondum purificati ſcatent?

Acida diureticis accenſenda ſunt. Quum quoque ſitim et calorem compeſcant, Tiſſoto ſunt adamata, qui ut cum roborantibus commiſceantur

* Gregor. l. c.

commiſceantur ſuadet. Spiritus nitri dulcis efficaciter ſaepe et cito urinam movet *.

Salia neutra id praeſtant commodi, ut, cum alvum ducant, tum diureſin plerumque cient copioſam. Non ideo negandum eſt quin cr. tartari vim diureticam citra alvi purgationem ſaepe exerant; verique ſimile eſt, caetera ſalia, quae diureticorum nomine celebrata fuerunt, eidem uſui ac cr. tartar. non inepte inſervire poſſe. Salia quaeque diuretica, ſi diutius continuantur, aut plenioribus miniſtrantur doſibus, ventriculo ſaepe officiunt, aut corpus nimis refrigerant. Haec incommoda forſitan diminuent potiones largae, leniter ſtimulantes, aut aromatis alicujus admiſtio.

Radix ſcillae inter efficaciora diuretica eſt. Ratio exhibendi alia aliis fuit excogitata. Quibus vim ejus emeticam evitare propoſitum eſt, hi multo vino infundendam, vel aqua cinnamomi corrigendam, cenſent †. Contra, peritus Homius monet pulveris

* Cel. Duncan praelect. practic.

† Swieten Com. in Boerh. Aph. 1243.

veris ejus paucula grana bis in die exhibere, ut poſt aliquot dies vomitio accerſatur. Utrolibet in caſu parvulis ſenſimque adauctis doſibus incedendum eſt; et, pro morbi ratione et aegri viribus, interdum mercurii ope ad urinas dirigere, interdum vomitionem promovere convenit. Tiſſotus 'vidit 'plures, qui vini ſcillitici uſui aſſueſcere 'nequibant, enormes enim vomendi cona-'tus excitabat; facile vero oxymelle ute-'bantur. Saepe grana duo aut tria pulv. 'ſcillae, inquit, anxietates horrendas in hy-'drope pectoris citiſſime tollunt;' et alibi, 'fauſtius ſemper (ſcilla) mihi ſucceſſit hanc 'adhibendo doſin, quae renibus, non alvo, 'purgat. Ventriculi vires certe, hercle, de-'primit, quas quidem bene deinceps erigit 'cortex. Saepe ſcillam et corticem eodem 'tempore adhibui *.'

Radix colchici autumnalis.—Huic primas inter diuretica detulit Storckius, et aliquos magni nominis medicos habet aſſentientes. Sunt autem alii, et hi quidem graves medici,

* Lib. citat.

dici, qui incertum putant, et ſcillam ei anteponendam cenſent. Solebat ille circiter drachmam unam oxymellis colchici bis in die praeſcribere, et augendo indies quantitatem diureſin copioſam confidenter expectabat. Quam tamen, ut efficacius excitaret, ſalia diuretica et ſpiritum nitri dulcem oxymelli aliquando curavit adjicienda *. Inter noſtrates ſyrupus ſcilliticus, quem Pharmacopoeia Edinburgenſis habet, loco oxymellis a Storckio propoſiti, adhibetur. Noſtra tamen formula eandem fere ipſius colchici doſin ſervat. Ipſe radix recens gran. ii. ad ℈i. ſumptus hydrothoracem, cum anaſarca conjunctum, levavit. Probatior autem eſt uſus electarii ex cr. tartari cum ſyrupo ſcillitico confecti; quippe quod inſigniter, et melius quidem quam alterutrum horum medicaminum ſeorſim ſumptum, urinam moveat.

Rad. Senekae ſtimulo quo pollet generali excretiones varias reſerat et multum urinae evocare ſolet, quare in hydrope utilem fore

* Obſerv. ſur l'uſage interne de colchique, &c.

fore credidit Tennentius *. Haud paucis anasarca simul et ascite implicitis decoctum ejus levamen attulit; et in uno exemplo anasarcam eo penitus fugatam fuisse invenio †. Ingeniosus quoque Milmannus nonnullis in casibus per ejusdem decoctum incipienti morbo occurrebat, et perutile remedium inveniebat ‡.

Leontodon taraxacum diuretici nomine magnis effertur laudibus; soloque ejus succo hydropem binis in exemplis devictum fuisse, memoriae proditum est ‖. Aliud alibi memoratur exemplum efficaciam radicis comprobans §. Ejusdem herbae liquor vinosus, post fermentationem destillans, ut in aliis multis, sic in hydropicis affectibus, magnopere laudatur **.

Lactuca virosa foliis verticalibus, carina aculeatis Lin. Prodiit aut mox proditurus est

* Phys. disquis.

† Mem. de l'Acad. des Scien. l'an. 1744.

‡ Lib. cit.

‖ Recueil par Richard, tom. 2.

§ Murrai appar. medic. vol. 1. p. 106.

** Comment. medic. vol. 8.

eſt de hydrope tractatus iconem, et utilitates hujus herbae complectens. Auctor Collinus Viennenſis ſuccum ejus ab expreſſione defecatum in potentiſſimis diureticis habet. Ejus ſemidrachmam vel ad ſemunciam quotidie (refractis forte doſibus) ſumendam, largo ſimul potu permiſſo, monet *.

Digitalis purpurea, quum admodum ſit acris, ventriculoque inimica, an idiopathicae anaſarcae conveniat, haereo. At, ſi duro nodo parem cuneum adhibere oportet, folia ejus ex aqua decocta vel infuſa experiri licebit †. Vomitum aliquando aut catharſin, plerumque autem urinam, inſigniter movet. Inter utendum multa et diluta potione opus eſt.

De Radice Cinarae, *Iridis*, et quibuſdam metallicis, in eundem finem commendatis, nil

* Foreign Medical Review, 1779.

† In hanc formulam, quantum colligo, expertiſſimus Hopius hoc medicamen praeſcripſit.

℞ Fol. digital. ſiccat. ʒiii.

Aquae ℥xii. decoque ad ℥viii. et colat.

Cap. ℥iſs. omni trihorio. Secunda aut tertia vice nauſeam facit.

nil habeo quod dicam. Calx zinci, largis ſumpta doſibus, urinam multam expuliſſe, et ſic hydrocephalum ſanaſſe, dicitur.

Sudorifica.——Quoties ſuppreſſus ſudor morbi fuit occaſio, diaphoretica, quae nauſeam movent, protinus uſurpanda eſſe, jam ſupra dictum eſt. Caeterum, quum cutis in quoque hydropis genere arida ſit, ſudorque difficilis, omni aevo deſideratum fuit, hac via humorem elicere. Quocirca veteres in ſudorificis multum impendebant operis. Laconico, clibano, inſolatione, arenatione, vehemente perfricatione, exercitatione contendebant. Pervulgata eſt quam Dampierus de ſe narrat, ope calidae arenae expleta curatio. Memorantur etiam caſus, in quibus natura morbum via cutis diſſipavit. Multa igitur ad prudentem ſudorificorum adminiſtrationem hortantur ; ſed quibus in caſibus ea diureticis anteponenda, aut iiſdem interponenda ſint, difficile dictu eſt. In vetuſtiore anaſarca, tunc ſudorifica magis idonea eſſe videntur, ubi ventriculus aut alvus

potentiora

potentiora diuretica non ferunt. Contra, male creditur ſudorificis ubi ſumma debilitas eſt, aut ſpiritus gravis, quo minus diu reſupinato corpore decumbat, aegrotantem prohibens; neque puerulis forſitan ſudorifica conveniunt, quoniam hi difficulter intra ſtragula coercentur. Dom. Don. Monroius antimonialia praefert, quippe quae parvulis repetita doſibus alvum ſimul et urinam moveant. Non poſſum quin Pulv. Doveri prae cunctis hoc genus remediis ſeligam; qui aliquos vidi, plures audivi hydropicos, in Noſocomio Regio Edinb. hoc remedio ſanatos. Ingenioſus Hamilton hanc medicinam diureticis certiorem, catharticis tutiorem, ducit; tantumque abeſt ut urinas ſiſtat, ut magis promoveat. Ne quis autem hanc methodum medendi aggrediatur, niſi regulas de adminiſtratione ſudorifica a magno Culleno traditas probe calleat.

Quae propoſui ſudorifica balneum calidum efficaciora reddere poteſt, niſi orthopnoea id prohibeat.

Sialagoga.—Salivae fluxus aut generali mercurii ſtimulo, aut irritamento ſalivalibus ductibus recta admoto, excitari poteſt. Hoc raro ſatis efficax; iſte cum multa ſaliva vires nimis exhaurit. Non deſunt autem exempla hydropis, ſaliva ſponte profluente, vel tabaci ſuctione provocata, ſublati. Itaque non alienum nec inane prorſus remedium eſt tubulus fumigatorius iis ſaltem, qui ejus deliciis adſueverunt.

Per emiſſaria nova, arte facta, magnam vim humoris recta educere, cum multo aegrotantis levamine, ſaepe poſſumus. In hydrope autem, proh miſeram medicinae ſortem! praeſentiſſima auxilia praeſentiſſimum periculum plerumque excipit. Flaccidae frigidaeque carnes in gangraenam ruunt. Prudenter igitur ab hodiernis medicis ſtatutum eſt, caeteras omnes vias, priuſquam haec tentetur, explorare. Attamen extremum hoc remedium praeripere, neceſſitas rerum aliquando cogit. Siquando enim anguſtiae pectoris inſtantem minitentur ſuffocationem, humor, quo pulmo opprimitur

quam

quam citiſſime emittendus eſt. Aliquando etiam incluſus humor adeo cutem diſtendit, ut parum abſit quin diſrumpatur; at a diſrupta majus quam ab inciſa cute gangraenae periculum eſt. Denique, erythema inflatam cutem nonnunquam obſidet; quo in caſu quoque tantum abeſt, ut inciſiones gangraenae faveant, ut ei aliquandiu occurrere poſſint *.

Epiſpaſtica, paucis antehac laudata, plurimis hodie ſuſpecta ſunt vel damnata. Enimvero late diffuſam et ſerpentem producunt phlogoſin, quae in gangraenam proxime vergit.

Fonticuli, ſi per cauterium fiant, ſub eadem cenſura ac epiſpaſtica cadunt. Si vero per ſetacea introducta exitus humori paratur, metus eſt ne phlogoſis gangraenoſa ab irritamento extranei corporis citius ſeriuſve quoque oriatur.

Inciſiones.—Exolevit jam ſcarificatio per longas plagas, quales ad ſuras taloſque priores medici infligere ſolebant: compertum enim

* Cullen. praelect. practic.

enim eſt, punctiones ſcalpello exiguo factas minore cum periculo, neque impare fructu, fieri poſſe. Neque nocebit forſan cutem pluribus in locis, invicem quaſi pollicem diſtantibus, inſtrumento chirurgico, ſcarificatore dicto, pertundere. Sed de punctionibus etiam cautiones adhibendae ſunt. Ut in hydropicis vulnus, ubicunque factum, res eſt meticuloſa, ſic punctiones in imo corpore magis etiamnum periculoſae ſunt. Ideoque ſatius eſt punctiones extremarum partium ad extremum differre; et primo ad medium femur, deinde paulo ſupra genu cutem pertundere; atque ita deorſum, debitis interpoſitis intervallis, procedere. Vulnera bis quotidie luſtranda; manuum compreſſione, vel et agitatione corporis, humor exprimendus. Oportetque mitius aliquod linimentum cuti circa vulnera ſuperdare, et membrum faſcia lanea, tantum non profluvium humoris cohibente, deligare *. Paracenteſis ad aſciten proprie pertinet; ſed idiopathica anaſarca hoc gravidi

* Cl. Monroii praelect. anat.

vidi abdominis levamen aliquando deſiderat.

Attrahentia.—Fol. braſſicae ad eroſam cutem admovere non novum eſt ; ſerum enim poſt epiſpaſtica depluentem attrahere vulgo fertur. Quid valeat in hydropicis ex vulgo quoque diſcendum ; eſt enim nimis vile et parabile medicamentum quam ut medicorum exiſtimationi ſatisfaciat. Sub eodem nomine venit radix bryoniae. Hoc remedium, inquit Tiſſotus, popularibus adamatum eſt, qui ſcarificationem metuentes, taleolas ejus contuſas et calefactas cruribus diſtentis applicant. Stupenda aliquoties, minima alias effluit hac via ſeri quantitas. In eundem finem ſcilla olim, teſtante Celſo, adhiberi ſolebat.

III. *Effuſi humoris abſorptionem promovere.*—Huic conſilio aliquatenus reſpondent evacuantia ſupradicta. Enimvero vix fieri poteſt ut excretio aliqua abunde augeatur, niſi pars effuſi humoris eodem tempore reſorpta ſit. Sic cathartica fortiora,

dum

dum latam ſuperficiem inteſtinorum valide irritant, valide quoque reſorptionem promovent. Sed leniora evacuantia ſubſidio generalis alicujus ſtimuli indigere videntur, quo excitata lymphatica humorem in eam excretionem, quam evacuans praecipue movet, derivent.

Mercurius eo modo et conſilio feliciter adhibetur, ut vaſa ſanguifera et abſorbentia, levi vel nullo ptyaliſmo excitato, ſtimulet; ſic enim optime cavetur, ne aegrotantis vires conſumantur; et mercurio praemiſſo vel admiſto conſultum eſt, ut diuretica certius et copioſius urinam moveant. Quocirca quidam apud Germanos medicus mercurium uſque ad ptyaliſmi initium, dein diuretica, adhibere ſolebat *. Itemque Cl. Lindius, in multis, iiſque pertinacibus, caſibus, pilulas mercuriales alternis noctibus, uſquedum lenis ptyaliſmus occoepit, exhibebat; et alternis interea diebus miſturam ſcilliticam aſſumendam praecipiebat †. Horum

* Baldinger Sylloge Opuſculor. Tom. 2.

† On the diſeaſes of hot climates.

rum praxin confirmavit experientia Gregorii noſtri, qui medicinam clinicam in Noſocomio Regio Edinb. cum ſingulari alumnorum voluptate et profectu, nunc exercet. Huic explorata eſt mercurii efficacia tum in ea, quae per urinam, tum quae per ſudorem procedit, curatione. Proinde, ſi diureſis propoſita eſt, convenit, repetitis at perexiguis mercurii doſibus, ſyſtema citra ptyaliſmum quaſi ſaturare, deindeque ſcillam exhibere. Sed et ſcillae effectum diureticum haud mediocriter promovet, ſi cum ea commiſceatur, aut, quod melius, alternis vicibus eam excipiat. In hunc finem pilul. mercur. Ph. Ed. eligendae videntur prae ſalibus e mercurio paratis, quippe quae per alvum ſe praecipitare ſolent. Itidem pulvis Doveri votis melius reſpondet, ſi mercurius eodem tempore, quo is adhibetur, leniter in corpus agat.

Frictio nunquam non utilis, morbum ingredientem ſiſtit, redeuntem arcet, omniumque medicaminum vim hydragogam adju-

adjuvat. Quinetiam ipſa ſtrenua perfricatio graves et inveteratos hydropes depuliſſe dicitur. Quibuſdam placuit oleoſum aliquod ex veterum conſuetudine infricare; quod ſi eo ſolum propoſito adhibeatur, quo minus abradatur cutis, nil prius oleo olivarum habendum eſt. Id tamen, ne aegrotans ſibi videatur medicinae ſolatio deſtitui, cicuta vel camphora imbuere juvabit: et, ſi quid auxilii in his adminiculis ſit, valebunt quantum valere poſſunt. Ubi autem cutis vehementer diſtenditur, cavendum eſt, ne quid ipſa patiatur. In hydropicis enim leviſſima quaeque plaga in gangraenam facile praeceps eſt. Quamobrem cantharides, alcali vol. et omne rubefaciens, rejiciendum puto. Numquid boni in iis caſibus, qui curationem per ſudorifica non admittunt, ſperandum eſt ab unguento aliquo mitiore, cuti poſt frictiones illito? Superiore anno, vidimus diabetem per inunctionem, Gregorio curante, feliciter tractatum: hydrops autem, non ſecus ac diabetes, fomitem pabulumque ab ambiente aëre accipit.

Electri-

Electrizatio.—Hoc auxilium ideo proposui, quod, quum potentissimum in plurimis laxae vel torpentis fibrae vitiis compertum sit, tum ineuntis anasarcae levamen pollicetur, neque inveterato alienum fore credibile est. Quinetiam menstrua retenta evocat, suppressa restituit. Quid obstat igitur quo minus absorbentia excitando, vel et ipsas excretiones reserando, remediis evacuantibus eodem tempore administratis, subsidio sit?

IV. *Recidivum morbum arcere* hoc opus, hic labor est, in quo omnibus nervis contendendum est. Quae sub primo consilio comprehensa sunt, omnia in usum revocanda. Idoneus cibus, vina generosa, exercitatio assidua, frictio, chalybeata, cortex Peruv. caeteraque amara, quae tonum corporis augent, neque ventriculo aliena sunt. Nunc etiam partes flaccidae fasciis arctius comprimendae sint. Dum convalescit aeger, ratio urinae habenda est; ac diureticis subinde uti non alienum erit. Eodem confert

Balneum frigidum, modo actionem vasorum atque corporis calorem excitet. At si calor horrorem non excipit, juvabit forsan frigidas perfusiones, aut aquam temperatam ante experiri, quam adeo efficax auxilium dimittere.

An potus liberaliter dandus?

Summa dissensione inter exteros certatur, utrum potus liberaliter hydropicis dandus sit, necne: neque inter nostrates de hac re convenit. Ex priscis medicis, alii parcius bibendum vinum permittebant, alii potionem non ultra dandam voluerunt, quam ut vitam sustineret. Qui veterum nimis sequaces proxime ante nos vixerunt, saevissima hac hydrophobia laborabant. Si vero rem breviter expendamus, apparebit potiones saepe idoneas, aliquando necessarias esse. Historias huc spectantes adeamus. De aegro conclamatum est. Siti crudeliter vexatus, medicina crudeli perinde lacessitus

miser

miſer lac, aquam, pomaceum raptim ingurgitat—reficitur—ad pocula redit—qua data porta ruit mox diluvies, et una morbus *. Aliud argumentum praebet felicior eorum ſucceſſus, qui potum ſuis hydropicis largiuntur. In hanc enim ſententiam omnes jam conceſſiſſe videntur, optima in hydrope medicamenta tunc optimos edere effectus, ubi diluentes hauſtus ſubinde propinantur. Sed et ratio hinc pugnat. Plerumque enim quantitas cujuſlibet ſecretionis erit, pro ratione quantitatis fluidi vaſis ſecernentibus dato tempore appulſi. In hydrope autem ſeroſitas nimia ex ſanguine in cellulas, vel caveas corporis, derivatur: Adeoque praepeditur quae ad ſecernentia vaſa pervenire debet: Hinc urinae penuria; hinc ſitis et cutis arida. Cum res ita ſe habeat, quid, quaeſo, prohibet affatim bibere? An metus eſt ne ingeſtus liquor ruat in cava, quae jam nimis humore inundantur, atque ita morbum

* Vid. Comm. ad Boerh. Aph. 1236.; Act. Medic. Lond. vol. 2.; Hiſt. de la Soc. Roy. de Med. tom. 1. p. 274. et 278.

morbum promoveat ? At idem periculum eos manet, qui nil omnino bibunt : his enim citius omni opinione replentur caveae catharticis pridie exinanitae ; qui novus humor, ſi exinanitioni tribuatur, luculenter demonſtrat quam neceſſarium ſit aliquid diſtentionis ad effuſionem humoris cohibendam. Talem diſtentionem et forte tonum facit ingeſtus potus. Porro probabile eſt, vaſorum diſtentionem ſubitam, qualem ingurgitati liquores dant, magis ad reſerandas ſecretiones valere, quam minutatim aſſumpti hauſtus, aut multus at continuus humor, quem ab aëre inhalat corpus. Illis ſaepe ſolutus fuit morbus ; his rarius aut nunquam. De hydrope generatim loquor ; non diffitendum autem eſt, quod adminiſtratio diluens idiopathicae anaſarcae parum congruere videatur, utpote quae a ſolidorum laxitate et fluidorum tenuitate pendeat ; minimeque iis ejus caſibus qui a ſpoliato ſanguine oriuntur * : quodque de generali

* Des boiſſons abondantes peuvent etre nuiſibiles lorſque l'hydropiſie eſt occaſionnée par des haemorrhagies conſiderables ; *Bacher Journal de Medecine* 1782.

generali hydropis curatione, idem de administratione diluente dici potest: ut variant morbi pariter variabimus artes: 'Mille 'mali causae mille salutis erunt.' An igitur nostro aeque ac aliis generibus conveniat, non audeo dicere. Sed in diversis morborum stadiis novae oriuntur causae, novae indicationes. Potestque fieri ut, quae incipienti anasarcae repugnasset, provectiori consentanea sit administratio. Et revera, postquam sanguis magnam partem serositatis suae in cava effudit, metuendum est ne vasa secernentia collabantur, nisi potus plena manu praebeatur; qui ea probe distendat stimuletque. Denique, eorum experientia, qui in vario hydrope curando multum profecerunt, hanc praxin etiam in anasarca commendare videtur *. Itaque in omnigeno

* 'Si les diuretiques, les purgatifs ont quelquefois 'reussi, c'est quand les hydropisies ne dependoient que 'd'un simple relachement; mais cette espéce d'hydro-'pisie peut se guerir aussi parfaitement, et même plus 'surement par la methode, qui en laissant aux maladés 'la

omnigeno fere hydrope, ubi ſitis torquet, ubi evacuantibus repetitis opus eſt, potum liberalius elargiri ſuadent natura, ratio, et experientia. Maxime autem conveniunt vinum Rhenanum, vina rubra, ſpiritus juniperi cum aqua acidoque (vernacula *gin punch*) aquae chalybeatae naturales, vel arte paratae, aqua pura aëre fixo medicata, cereviſia effervefcens, et ſimilia. Infuſa domeſtica thaeae et coffaeae prohibenda, utpote quae infirmo ventriculo aliena ſunt.

‘ la liberté de boire a leur ſoif leur preſcrit la boiſſon ‘ qui convient a l’état preſent de la maladie ;’ *Bacher, ibidem.* ‘ On voit par ces obſervations, que ſi la traite- ‘ ment des hydropiſies doit varier relativement a la ‘ cauſe qui la produit, en conſultant les ſymptomes les ‘ plus preſſans de cette maladie ils exigent toujours ‘ l’uſage des boiſſons copieuſes ; c’eſt une preparation ‘ indiſpenſable a l’action qu’on attend des purgatifs, ‘ aperitifs, et des toniques, et qui en aſſure plus poſitive- ‘ ment le ſuccés. Outre le tourment qu’on fait ſouffrir ‘ aux hydropiques en les privant de la boiſſon, il eſt ‘ certain que cette privation, en augmentant leur ſouf- ‘ france, les rends d’ailleurs triſtes et melancholiques, ‘ qu’elle determine, accelere, et augmente la fievre, ‘ que par la continuation de ce regime devient de plus ‘ en plus importante ;’ *Recueil d’Obſerv. par Richard, tom.* 2.

TANTUM.

TIGHT GUTT